CORNELII TOLLII
AD
PIERII VALERIANI
DE
LITERATORUM INFELICITATE
Librum
APPENDIX

AMSTELODAMI,

Apud *Cornelium Joannis.*
Anno 1647.

Nobiliſſimo, atq; Ampliſſimo Domino,

JVSTO VYGHIO,

Domino in Iſendorn, & in ſuprema GELRIÆ *Curia Conſiliario*,

CORNELIUS TOLLIUS S. P. D.

Nobiliſſime Vir,

ROganti typographo, ánne haberem aliquid, quo auctior, atque ob novitates gratior, redderetur Pierii, quam paraverat, de Literatorum infelicitate editio; reſpondi, in memoria eſſe eruditorum aliquos, fortunæ itidem incertis notabiles, qui appendicis loco adjungi poſſent. Et lu-

 ben-

bentius quidem operam illi meam addixi, quòd de calamitatibus eorũ, atque infortuniis, cogitanti in mentem incideret poetarum illud ingenioſiſſimi:

Suntq; ea doctorum monumentis miſta virorum.

Illi itaque, quorum ego inflicta indigniſſimè ab aliis mala, qualicumque officio, recenſeo, in optimam, atque certiſſimam Tuam clientelam, VYGHI præſtantiſſime, tradere ſe geſtiunt. Nam ſive Appendix mea hujusmodi eſt, ut excuſatione egeat; ſive ut laude aliqua poſſet digna videri; neminem habeo, cui potius, quàm Tibi, oblatam velim. Tu enim is es, in quo uno cunctas habitare virtutes, quas in aliis etiam ſingulas admirari ſolemus, omnes uno ore fatentur.

Sed

Sed nolo verecundiam ingenii Tui prolixâ laudum commemoratione onerare, neque me tam patenti campo immittere, cum foret hoc difficile & meis humeris impar. Hanc igitur operam, etſi levem, & indignam propè, quæ Nobilitati Tuæ inſcribatur, nihilominus offerre Tibi & publico, & privato nomine, adducor. Publico, quia nemo eſt, qui Te non colat plurimum, atque obſervet: privato, quia cum tot argumentis perſpecto ſingulari amore conſtanter adeo immerentem me proſequaris, graviter peccarem, ſi vel minimam occaſionem prætermitterem, dandi gratiſſimi pariter, atque obſervantiſſimi animi fidum pignus. Lubens præſtarem majora, dignioraque celeberrimo Tuo nomine, ſi non facultas minus, quàm voluntas, impediret.

 Nunc

Nunc quando ea nondum poſſim; patere, obſecro, adfectus, animique in Te mei extare hoc, cujuſmodi ſit, teſtimonium; meamque ſive temeritatem, ſive audaciam, æqui, bonique conſule. Ego interea, quod ſemper facio, Deum Opt. Max. venerabor, Ampliſſimo Senatui, ac univerſæ Gelriæ, incolumem Te quàm diutiſſimè præſtet. Amſtelodami III. Kal. Maji. CIƆIƆCXLVII.

Nobiliſſimo Tuo nomini

devotus

Cornelius Tollius.

SYL-

SYLLABUS ERUDITORUM, quorum infortunia in Appendice narrantur.

Æ Marus Ranconetus. 48
Albertus Pius Carpenſis. 19
Aldus Manutius. 25
Angelus Saxus. 39
Antiochus Tiberius. 40
Antonius Niger. 39
Arnoldus Ferrerius. 62
Auguſtinus Niphus. 11
Barnabas Briſſonius. 67
Bartholomeus Cocles. 12
Camillus Quernus. 15
Carolus Molinæus. 50
Charilaus Macrinus. 59
Claudius Arcerius. 69
Clemens Marotus. 47
Dionyſius Lambinus. 55
Eliſius Calentius. 11
Fabius Latinus. 24
Franciſcus Balduccius. 36
Franciſcus Hotomannus. 64
Franciſcus Philelphus. 3
Georgius Trapezuntius. 7
Gvilielmus Bertrandus. 56
Gvilielmus Pellicerius. 63
Gvilielmus Poſtellus. 60
Henricus Stephanus.

Hieronymus Cardanus. 42
Jacobus Cujacius. 68
Jacobus Lodoic. Strebæus. 71
Jacobus Picolominus. 6
Jacobus Roliardus. 56
Joannes Andr. Ruettus. 27
Joannes Babtiſt. Marinus. 30
Joannes Corraſius. 58
Joannes Steph. Durantius. 72
Joannes Tardivius. 70
Lucas Gauricus. 14
Nicolaus Francus. 17
Nicolaus Machiavellus. 20
Nicolaus Sudorius. 70
Olivarius à Boſco. 35
Paullus Quidott. Burgheſius. 26
Petrus Fulvius. 49
Petrus Gillius. 45
Petrus Montaureus. 52
Pntrus Placius. 57
Petrus Ramus 59
Pierius Valerianus. 9
Polycarpus Palermus. 29
Pomponius Gauricus. 18
Thomas Campanella. 33
Torquatus Taſſus. 21
Trajanus Boccalinus. 32

COR-

CORNELII TOLLII
AD
PIERII VALERIANI
DE
LITERATORUM INFELICITATE
Librum
APPENDIX.

NEſcio, unde tantum Fortunæ erga literatos odium, ut aſſidua in eos emittat adverſitatum fulmina. Aliud enim promerentur magni illi Muſarum alumni; neque debita virtutibus illorum crudelitas. Clavos quidem trabales, cuneos, uncos, aliáque ſævitatis inſtrumenta, Antiquitas Fortunæ tribuit; ſed non ut exerceret in immerentes. Quantum igitur aberrat incerta, & volubilis illa Dea, eos ſemper excru-

ciando, qui ſummâ potiùs felicitate, quàm leviſſimâ miſeriâ, ſunt digniores. Utinam & ipſa iratam quandoque habeat Nemeſin, quòd usqueadeo optimis ſit iniqua. Ferendum aliquo modo eſſet, ſi ſolâ adhuc paupertate affligeret viros eruditos. Videri enim jam tum poſſet conſulere velle literariæ Reipubl. quia bonæ mentis aſſecla paupertas, & una paupertas artificem excitat. Non autem conſiſtit intra tam anguſtos terminos. Addenda ſunt exilia, captivitates, violenta mors, bonorum defraudationes, & innumeri calamitatum modi. Quot ex ſola Italia collegit Pierius ſui propè temporis viros, præter eruditionem fortunæ etiam ludibriis inſignes! Qui tamen cùm nonnullos reliquerit, (quis enim omnes recenſeat) & ætatem ejus conſecuti ſint alii, memoratu nihilo indigniores, non

ingra-

ingratum fore putabam, ſi quos omiſit Pierius, ego adderem: non omnes quidem, ſed qui memoriæ obverſarentur. Fortaſſe aliàs dabitur pleniùs tractandi occaſio.

Qui itaque, ætate ſuâ, primas in eruditione tenuit, teneat quoque hîc, Franciſcus Philelphus; cujus & virtus, & calamitas, in conſpectu pariter fuere. Hic, cùm pater inops, quique ex diurno labore in diem viveret; mater, cui ad quæſtum nihil niſi femur ſupereſſet; Patavii à quibusdam receptus, egregiam ſtudiis operam navabat. Ea verò civitate ob illicitos amores pulſus, in Græciam abiit; utque de Caballino fonte potaret Parnaſſum montem, & ſimul in Athenarum ruinis immortalium philoſophorũ luſtravit veſtigia. Inde porrò Byzantium profectus, ſummi viri, Emanuelis Chryſoloræ, filiam uxorem duxit; quæ Græcæ elo-

Franciſcus Philelphus.

cutionis magiſtra, quotidiano uſu Atticorum accentuum dulcedinem docili conjugis ori inſtillabat. In Italiam poſtea reverſus, & Græcè juxta, ac Latinè perorans, carus admodum fuit Principibus omnibus, atque ante alios Eugenio, Pontifici Maximo, Alphonſo regi, & Franciſco Sfortiæ. Nullam certe ſpem nobilioris gloriæ Latinis æmulis de Romana facundia; nullam de Græco lepore vel ipſis Græcis reliquiſſet, niſi tantus eloquentiæ fluvius paullatim in vitiorum paludes abſcedens, clariſſimi profluentis dignitatem amiſiſſet. Tum quoque eò redire ſors ejus, unde primitus fuerat orta. Florentiæ enim dum viveret, confictas aliquamdiu mentiebatur divitias; donec fames poſtea oſtentationem vinceret, & ſupplicem compelleret ab alio vitæ ſubſidiũ petere. quin imò, cùm æs alienum grande

grande conflâſſet, in carcerem à creditoribus conjectus eſt; quo vix ſeſe, ſumtâ per uſuram pecuniâ, liberavit. Mox gravior conſecuta calamitas; &, ob quæ delicta incertum, à Florentinis publico docendi exercitio privatus, urbe expulſus, atque in exilium actus, Senas petiit. Sed & ibi parcè, ac duriter vitam agens, miſeréq; aliquando verberibus exceptus, Bononiam conceſſit. Verũ hac etiam ejectus civitate, Mediolanũ profectus eſt, ubi ſecurius ſibi fore domicilium ſperabat. At ruſus infelicem fruſtrata ſpes, neq; lætior illuxit dies. Quamobrem procellis, & tempeſtatibus quotidianis, oppreſſus, alium ſibi portum circumſpicere cogebatur, quo reliqvum vitæ & utiliùs, & quietiùs poſſet tranſigere. Quadam ad Matthæum Piſaurenſem epiſtolâ narrat ipſe, quomodo Cremonam ſe poſtea advenientem univerſa

civitas & viderit, & honoraverit egregiè. Sed ubi accidiſſet, ut mercenaria ſua ſerva, peſtilentiali morbo correpta, vitam ſubitò deſeruiſſet, ingens adverſus ſe exortus ſit tumultus, quem inſana illa plebecula concitârat. Continuò cum univerſa familia urbe fuiſſe excluſum, & non ſine magno quidem vitæ periculo. Vagatum ſe in campo omnium egenum, atq; in tam repentino inſanientium hominum motu, conſilii etiam expertem. Tandem, furore illo ſedato, à primoribus in ſuburbanam civis cujusdam villam deductum, tantiſper incolendam, donec publicâ diligentiâ aliter ſuæ & rei, & dignitati, proviſum foret. Interim incommodius impingi ſibi nil poſſe; cunctáq; abeſſe, præter pulices, culicésque, & muſcas. Vixit ad exactam ætatem, nonagenario ſcilicet proximus; periitque Bononiæ, adeò diſſipatis rei dome-

domeſticæ rebus, ut ad procurandū funus & cubiculi, & coquinæ, inſtrumenta fuerint divendita.

Coævum Philelphus habuit Jacobum Picolóminum, Papienſem Cardinalem, reliquâ quidem vitâ, præterquam obitu, mediocriter felicem. Amannatorum familia non ignobili Lucæ genitus, prima in oppido Piſciæ literarum rudimenta jecit. Jam verò adoleſcens Florentiæ ſub Carolo, & Leonardo, Arretinis, Poeticæ, Rhetoricæque operam ded t, & Romæ poſtea à Cardinale Firmano ad ſecreta eſt adſcitus. A Calixto deinde tertio, qui Nicolao Quinto, Pontifici Max. ſucceſſerat, eodem Secretarii munere ornatus, & Apoſtolicorum præterea diplomatum ſcriptor conſtitutus eſt. Calixto defuncto, adſumtus ad Sedem Pius Secundus; qui, ipſo Pontificatûs die, eandem illi dignitatem con-

Jacob. Piccolominus, Cardinalis papienſis.

tinuavit; deinde Papienſi Eccleſiæ præfecit, ac paullò poſt Cardinalem creavit. Hîc ſeſe ſtitit viri felicitas, qua non admodum diu frui licuit. Præclari erat ingenii, ac ſi aliter mori contigiſſet, majoris conſilii fuiſſet habitus. Habitabat ad Tyberis ripam modicis ædibus, iisque non ad pompam ornatis; quoniam divitias non quæſivit modò, ſed & in aliis vehementer deteſtabatur. In Vulſinienſes aliquando, tridui iter ab urbe Roma, ſeceſſit, æſtivi aëris vitandi gratia, ſicut quolibet ferè anno conſueverat. Cùm verò quartanâ aliquantulum laboraret, ad depellendum phlegma, quod ſtomacho inhærebat, ignobilis Picentini medici conſilio accepit helleborum, male quidem temperatum. Quo hauſto, altiſſimo ſomno correptus, minus diei ſpacio, in oppido Laurento, exſpiravit.

Eâdem

Eâdem tempeſtate magnum illud Græciæ decus claruit, Georgius Trapezuntius, undiquaque quidem feliciſſimus, niſi laceratus nimium Plato inflixiſſet miſerias. Cùm enim Peripateticum ſe profiteretur, unúmque ſemper Ariſtotelem extolleret, uſque adeò ſuperbâ, & contumelioſâ fuit aure, ut ne divinum quidem Platonis ingenium laudari pateretur, ejusque dogmata, & mores peracerbè, famoſo edito volumine, proſcinderet. Tantam in Trapezuntio, quamvis ſibi conjunctiſſimo, audaciam ferre non potuit illuſtri eruditione, ac facundiâ, Cardinalis Beſſarion; ſed ſcripto ad defenſionem ſummi Philoſophi libro, ingenio, memoriâque privavit calumniatorem. Redacto quippe in delirium Georgio omniũ rerum, elabebatur memoria; ita ut alter Orbilius literarũ oblivio, Romam circuiret,

Georgius Trapezuntius.

cuiret, obtrito pallio, & nodoſo ſcipione vacillantis gradum ſuſtinente. Præter Beſſarionem æmulos quoque, & infeſtos ſibi, habuit Joannem de Monte Regio, Theodorum Gazam, ac Joannem, Epiſcopum Alerienſem. Imò Regiomontanus, cùm libris iis, quibus Theon Alexandrinus defenditur, reprehendiſſet verſionem, & commentaria Trapezuntii in Ptolemæi Almegeſtum ita dictum à filiis ejus veneno creditur extinctus. Filius autem Andreas patris ſui verſionem, & commentaria in Ptolemæum, Sixto Pontifici dedicans, patrem ait Româ, propter æmulorum invidiam, Neapolim deceſſiſſe, ibique comiter ab Alphonſo rege ſuſceptum, paulló que poſt mortuum. Sed officioſum magis, quàm verum, filii pro patre teſtimonium videtur.

Habeat

Habeat quoque inter infelices locum Pierius Valerianus; qui in Contareno ſuo omnium prope meminiſſe videtur, præterquam ſui ipſius. Et credo eam ob cauſſam de Literatorum calamitate dialogum inſtituiſſe, quòd ipſe faventem parum ſenſerit Fortunam. Ab ineunte ætate amico fuit erga literas animo; ſed cùm annum vix nonum impleviſſet, parente in militiâ defuncto, rerum domeſticarum curâ ab humanioribus ſtudiis diſturbatus potiùs, quàm averſus eſt. Quandoquidem igitur res domi eſſet anguſta, egena mater, & duæ ſine dote aliqua ſorores, Patriciis quibusdam Venetis ſervire per egeſtatem cogebatur. Verùm ne tantum quidem proderat iſta ſervitus, ut vel inde mater, ſororesve, aliquod inopiæ ſuæ levamen ſperare poſſent. Queritur hæc Pierius Valerianus:

 ipſe

ipſe in elegia, quâ vitæ ſuæ calamitatem luget:

At genitrix pauper, geminæ ſine dote ſorores;
Quas miſeras fruſtra ſpes fovet una mei.
Expoſcunt à me fraterni præmia juris;
Sed chartas nullas, carmina nulla, volunt.

Ab Urbano demum Valerio, patruo ſuo doctiſſimo, liberalibus diſciplinis inſtitutus, eam conſecutꝰ eſt eruditionem, quam ex operibus ejus quilibet facilè perſpexerit. In paupertate exinde aliquantulum felicior; donec ſenio confectus Patavii; non ſine luctu totius Academiæ, ac præſertim Corraniorum, diem clauderet ſupremum.

Sunt etiam, quibus jucundior nonnihil eſſe ſola infelicitas; præſertim iis, quorum medullas tabe crudeli amor peredit. Hos inter

inter repono Eliſium Calentium poetam inſignem, & Pontano, Actióque, maximè carum. Fuit is in varios carminum modos repentinâ largitate mirabilis: ſed ſæpiuſcule amatoriis incendiis juveniliter uſtulato, æquo torrentior vena, tanquam crebris impulſa caſibus, nequaquam liquidiſſimè profluebat. Multa ſcripſit præclara, intérque ea non infimæ laudis quatuor Elegiarum libros ad Angelum Colotium. Eliſius verò amore nimio perditus, oblitúsque rei, cùm elegis inanibus diu hęſiſſet, ſerò tandem ſenſit, in omnibus defuiſſe ſibi Fortunam. Summa denique paupertas, atque inopia mortis gradum corripuere: quæ ſtatâ vix ætate è vivis eripuit Calentium. Eliſius Calentius.

Et accidere ſæpius videmus, ſenes, dum amant, amentes, veréque miſeros fieri. Fuit hoc iti- Auguſtinus Niphus.

itidem malo afflictus inter Ariſtotelicæ ſectæ profeſſores non infimi loci Auguſtinus Niphus, vir ingenio fertili, liberali, & ad proferendas fabulas, etiam in ſuggeſtu, perjucundo. Scripſit ampla in univerſum Ariſtotelem commentaria, & laudatum maximè pro Averroë adversùs Algazelem librum. Parto demum otio, & podagrâ obrepente, calamum ſtrinxit in aſtrologos, augures, & cæteros iſtius farinæ homines. Septuagenarius autem nihilo in Venerem frigidior, non cogitabat illud Mæonidæ: Senes ad bella inepti. Verùm ſeneſcente ſimiliter uxore, puellæ impotenti amore ad inſaniam usque correptus eſt: ita ut Philoſophus, atque podagricus ſenex, ad tibiæ modos, etiam in publicò, ſaltans, ad pudorem, & fautorum miſericordiam, ſpectaretur. Tandem nocturno refrigeratus

itinere,

itinere, &, dum Svellam redit, tumefactis tonſillis ſuffocatus, interiit.

Artis ſuæ, & divinationis, vera nimium ſcientia necem acerbam attulit Bartholomeo Cocliti. Bononiæ humili genere natus, admirabili, ac divino propè vaticinandi fuit ingenio, egitque metopoſcopum, & chiromantem, non ſine magno aſtrologorum pudore; qui laborioſis genituræ ſupputationibus nonnūmquam fallerentur. Publico etiam dedit ingenti famâ librum, cum effigie linearum characteres, & notas artis, continentem. Præterea admirabilis fidei catalogum ſcripſit de iis, quibus varia violentæ mortis pericula prænunciaſſet, exactiſſimo poſt ejus interitum eventu comprobatum. Sed qui aliis imminentia prædiceret pericula, ipſe ſibi à crudeliori fato cavere non potuit. Aliquando enim ab Bartholomeus Cocles.

Hermete, Tyranni filio, rogatus, ut referret, quænam ipſi evenirent; invitus, ac coactus planè, reſpondit: fore, ut exul in acie cæderetur. Quod cùm inique ferret fatali metu perculſus Hermes, Copono cuidam juſſit, ut Cocles, tanquam futuris inferiis victima mactaretur. Prævidebat necis diſcrimen Bartholomeus, ideoque ſecretâ galeâ munierat caput. Verùm effugere fatales inſidias non potuit, cùm à perſonato bajuli habitu Copono, dum ſeræ oſtii, injecto calculo præpeditæ, clavem fruſtra niteretur inſerere, adactâ in occipitium ſecuri ſterneretur. Neque aliam patrati facinoris cauſſam adferebat Coponus, quàm quòd ipſe Cocles edixiſſet, brevi, & ſceleſtè; illum fore homicidam.

Lucas Gauricus. Eadem in arte, ſortéque propemodum ſimili ſocius, ac collega, fuit Lucas Gauricus Neapolitanus.

tanus. Hunc ſeverè, amicéque admonuerat Cocles, ut violenti cruciatûs cauſſas effugeret, quandoquidem idipſe, natalis ſui patris negligentiâ ignarus, ex ſiderum ſcientia prævidere nequiret. Sed ille, non cogitans, nihil Cocliti eſſe facilius, quàm verum dicere, admonitionum ingenti ſuo malo fuit immemor. Cùm enim Joannem Bentivolum exceſſurum patriâ, & dominatu, in anni ejus prognoſtico vaticinâſſet, arreptus ab illo, atque ex præalta trochlea ſuſpenſo fune quinquies miſere quaſſatus, nimiæ in prædicendo libertatis pœnas dedit.

Omnibus autem modis infelix, & poëſi, exitióque juxta celebris fuit Camillus Quernus, publico Romæ conſenſu Archipoeta cognominatus. Verè quidem ajebat, ſe pro uno benigno Leone incidiſſe in ferociſſimos mille lupos: Camillo Quernus.

pos: ſed eorum ipſe ſibi fuit iniquiſſimus Hic, cùm poetas Leoni Pontifici in honore eſſe didiciſſet, Monopoli, urbē patriâ, Romam contendit, ſecum adferens lyram, ad quam Alexiados ſuæ ſupra viginti verſuum millia decantaret. Neq; fruſtrata ſpes euntem. Vix enim urbem erat ingreſſus, quin omnib⁹ continuo arrideret præpingui vultu alacer Appulus, epulóque exceptus in Tyberis inſula, Æſculapio dicata, atq; inſolente ſerti genere coronatus. Exinde productus ad Leonem, inter eruditæ voluptatis inſtrumenta longè fuit illi gratiſſimus. Imò, cænante illo, adſtabat ad feneſtram, & porrectis ejus de manu ſemeſis obſoniis veſcebatur, potabatque ex Principis lagena, iſtâ ſemper lege, ut quolibet præſcripto argumento binos ſaltem, tributi loco, ſolveret verſus; ſin venâ ſterili, vel ineptiore poetari

Vide-

videretur, ingens culullus eſſet exhauriendus. Ab opipara hac, hilarique ſagina, graviſſimam incidit in podagram. Quapropter profuſiſſimi risûs aliquãdo cauſſa fuit, cùm canere de ſe ipſo juſſus, hunc hexametrum protuliſſet:

Archipoeta facit verſus pro mille poetis:

atque, hæſitante paullulum, addidiſſet Leo hujuſmodi pentametrum:

Et pro mille aliis Archipoëta bibit.

Demum multò maximus obortus eſt cachinnus, Querno tertium hunc verſum inducente:

Porrige, quod faciat mihi carmina docta, Falernum:

iterúmque ſubjungente Leone quartum, ex Virgilii appendice repentè mutuatum:

Hoc enim enervat, debilitátque pedes.

Mortuo autem Leone Decimo,

mo, profligatiſque poetis, Neapolim deceſſit. Ubi cùm prædu-ræ egeſtatis, & inſanabilis morbi, miſeriâ premeretur, in publica hoſpitali domo, ex indignatione, ventrem ſibi, ac intima viſcera forfice perfodit.

Nicolaus Francus. Alius Camillo addatur poëta, ludentis fortunæ acerbitatem nihilo minùs expertus. Erat is Nicolaus Francus, carminibus inclytus, ingenio celeri, ſed ſatyrico; & præ aliis Franciſco, Galliarum regi, maximè carus. *Præter* epiſtolarum librum, Philenen ſatyram edidit, acrem ſatis, in aulam Romanam, quæ hodiéque exſtat. Cùm autem videret, multà crebrò humanitus pati Clementem Septimum, Pontificem Maximum; cui tamen nihil, niſi ſpiritualia, convenire arbitrabatur, paſquillum ſcripſit; in quo inſeruerat etiam illa Evangeliſtæ Joannis: *Verbũ caro factum eſt.* Pontifex,

tifex, poſtquam autorem ejus reſciverat, juſſit quibusdam, ut poëtæ illi genuinum frangerent, eúmque ad Paſquinum, (ſtatuam, cui adfigere paſquillos ſolebant) extemplo ſuſpenderent. Arreptus itaque ex Clementis mandato Nicolaus, ac ſtatuæ appenſus, additâ ejusmodi inſcriptione: *Et crucifixus eſt pro nobis.*

Junonis Argivæ fanum, quod eſt nobile Picentinorum oppidum, duos fratres Gauricos edidit, ambos præſtanti ingenio, ſed parum felices. De Luca Aſtrologiæ peritiſſimo, & felici eventu futura prædicente, paullò ſupra diximꝰ. Pomponius, poëta etiam non incelebris, ardentis ingenii fœcunditate variis ſe artibus implicuit. Conſcripſit inter alia multa Epigrammata, & Elegias, non dubia amatoriæ vanitatis indicia. Conſtat enim, illuſtrem feminam perditè amaſſe, Pomponius Gauricus.

& pro-

& procaci Muſarum lenocinio nimium denudaſſe ferventis animi ægritudinem. Quæ res, uti plerumque apud Italos damnoſa, ſic & Gaurico exitium attulit. Cùm enim Surrentinâ viâ Stabias peteret, fuiſſétq; eo in itinere ab obviis ſalutatus, nusquam demum apparuit: ita ut ab aliquib⁹ trucidatus, & cum ſervis, ac jumentis, ne ullum cædis veſtigium extaret, in ſubjectum mare præcipitatus credatur.

Albertus Pius Carpenſis.

Lubet hoc etiam loco inter inſtabilis Fortunæ, virtutique plurimùm infeſtæ, exempla referre Albertum Pium Carpenſem. Us, que adeò hoc in viro conſpirabant genus, opes, ingenium, mores, ſtudiáque, ut vel inde conſpicere foret, humana omni prudentia ſuperiorem Fortunam. Nihil ille vel præſtantis doctrinę, vel ſolertis induſtriæ, vel reconditæ artis, unquam ſubterfugit.

Erat

Erat quippe ingenio vivido, tenacique memoria ſtupendus: tantâ porrò eloquentiâ, ut quocumque etiam vellet, principum animos impelleret. Summus habebatur tum bello, tum pace conſultor, & mirabilis occaſionum inventor, atque artifex. Verùm immenſa viri merita, & quibus minus fuit, quidquid etiam felicitatis oblatum ſit, longe ſecus, atque oportebat, repenſa. Ille enim bonis omnibus exutus, aliisque ærumnis afflictus, eo tempore, quo nihil unquam lugubrius, aut funeſtius, Roma vidit. Cùm ſcilicet conflatus ex Germanis, Italis, & Hiſpanis, ad quadraginta millia exercitus, per Xyſti pontem urbem invaſerat, tantâque erat cæde debacchatus, ut nunquam poſt hominum memoriam majori truculentia in perpetuos, & infenſiſſimos hoſtes, fuerit ſævitum. Ipſo Clemente Pontifice capto, & præ-

& præſcriptas recipere conditiones adacto, emiſſus ex arce Albertus, in Galliam aufugit. Sed neq; iſtic benigniorem ſortem comperit. Simulac enim adveniſſet, quietioris vitæ cupidiſſimus, cognovit ſe ditione paternâ Cæſaris imperio privatum, quòd partibus Pontificiis videretur æquo fuiſſe addictior. Vixit igitur inops, & articulari morbo graviter cruciatus; donec ſæva peſtis fatalem horam adduceret; qua, nondum ſenex, Lutetiæ ad ſuperos deceſſit.

Nicolaus Machiavellus. Et quis Politices paullò amantior, vicem non doleat Nicolai Machiavelli, principis optimi conſtitutoris? Quo in viro mirandum, tantum valuiſſe naturam, ut vix ullâ, aut ſaltem perexiguâ Latinæ linguæ cognitione, ad juſtam ſcribendi facultatem pervenerit. Conſtat autem, ſicut ipſe fatebatur, à Marcello Virgi-

lio

lio Florentino, cujus notarius, & muneris publici adſecla fuit, utriusque linguæ flores accepiſſe, quos ſcriptis ſuis immiſceret. Cæterùm ejecto à Mediccis Soderino, ipſe quoque Machiavellus conjurationis conſcius putabatur. Quapropter in quæſtione immaniter tortus, cùm innocentem ſe oſtendiſſet, leniendo dolori annuam ſcribendæ hiſtoriæ mercedem promeruit. Ægre tamen compreſſo odio, ac dicendo, ſcribendóque Brutos, & Caſſios, vehementer extollens, vel reus, vel delicti fautor, creditus eſt. Ademto proinde ſtipendio, vixit miſerrimus; fatóque functus eſt, cùm accepto temere pharmaco, quo ſe adverſus morbos præmuniret, vitæ ſuæ jocabundus illuſiſſet.

Neque omittendus ex infelicium literatorum albo Torquatus Taſſus, Italicæ linguæ decus, & poetarum ſui temporis omni- Torquatus Taſſus.

omni-

omnium facilè princeps. Puer is, patre Bannito, exilii calamitates paſſus, Romam ſe contulit, ubi primùm a Mauritio Cataneo Rhetoricam, & Poeſin, perdidicit. Deinceps attollere ſe viri fortuna, poſtquam principes, omnéſque eruditi, ſtudere ejus amicitiæ, atq; àmori, inciperent. Et præ reliquis ſummi poetæ hoſpitio aulam ſuam illuſtrare diu laboravit Scipio Gonzaga, Romanæ poſtmodo Eccleſiæ Cardinalis. Verùm Taſſus, ardentiori literarum deſiderio flagrans, Patavium abiit, eruditorum totius Italiæ nobiliſſimum emporium. Qua in urbe aliquantulum moratus, ſuisq; in lucem editis dialogis, ab Alphonſo Duce Ferrariam vocatus eſt, & laureati inſtar, atque triùmphantis principis, in urbem receptus. Mox Aloyſium Cardinalem, nuntium à Gregorio XIII. Pontifice Maximo, in

Galliam

Galliam miſſum comitatus, poetæ eximii titulo, multisque aliis honoribus, à Carolo, nominis illius nono, decoratus rediit. Et jam felicitatis apicem attigiſſe videbatur Torquatus, cùm ſubito ſe mutat fortuna; cujus quantum antea favorem, tantam poſtea iniquitatem comperit. Calamitatum quidem exordium ductum à morte patris. Odio deinde, & inimicitiis habitus, cæſóque adverſario, carceri mancipatur; in quo præ nimia melancholia parum ab inſania abfuit. Michaël Montaigne miſertum ſe hominis fuiſſe dicit, cùm videret illum Ferrariæ ſibi ipſi ſuperviventem, & oblitum ſui, ac librorum; qui tamen informes, nullâq; impoſita limâ, ab aliis excũdebantur. Emiſſus è carcere abiit Ticinum. Repetitâ vero Ferrariâ, in hoſpitali S. Annæ diligentiſſimè habitus eſt, adhibitis remediis omnibus,

qui-

quibus à cerebri vitiis liberari poſſet. Italia demum peragrata, Neapolin ſe contulit; ubi patrimonio, quod perierat, iterum acquiſito, ſanus degit usq; ad Pontificatum Clementis Octavi. Tum à Cardinali Cinthio Aldobrandino Romam vocatus, lubens paruit. Sed dum illi corona, & laurea publicè paratur, prævenit febris, quæ creſcenti rurſus honori, & fortunæ, tantum Italiæ decus in ætate media ſurripuit.

Fabius Latinus

Neque ſejungendus à Torquato, amico veteri, & cariſſimo, Fabius Latinus, idem poeticæ facultatis cultor non obſcurus. Ille enim, uti familiariſſimè utebatur eruditis omnibus, ſic unicè adamabat Hetruſci carminis principem Taſſum. Et non minùs Fabio delectabatur Torquatus; cujus in gratiam poema illud elegantiſſimum compoſuit, quod Corinnæ rogus inſcribitur. Erat

enim

enim tum Fabius magno in animi dolore, cruciatúque, ex improviſo formoſiſſimæ mulieris, cujus amore deperibat, obitu ſuſcepto. Neque aberat ſuſpicio, veneno fuiſſe à marito ſublatam, quòd, propter apertum alterius amorem, crebriùs in ore eſſet vulgi, quàm neceſſe eſt probæ. Cæterum Fabius paucos poſt annos, facto priùs rei familiaris naufragio, Mantuæ à ruſtico, ac nullius pretii homine, interfectus eſt. Tragœdia etiam ejus, laudata in epiſtolis Antonio Decio, incidit eundem in ſcopulum, ac ſimiliter magno cum illius gloriæ, & bonarum artium detrimento, interiit.

Quantum lubrica ſors Aldo illuſit, Manutiæ familiæ poſtremo, tum de auctoribus aliis, tum præſertim Cicerone, præclarè merito! Is ubi Venetiis Romam veniret, adeò exiguis Aldus Manuti°.P.F:

erat facultatibus, ut aureorum aliquot centena ad tranſvehendam bibliothecam fœnori adſumere, centeſimâ quidem uſura, ſit coactus. Quo alieno ære, juſtiſſimam ob cauſſam conflato, vix unquam liberare ſeſe potuit. Ac primùm, quam in matrimonio habebat mulierem, tanquam contra leges ductam, dimiſit; fore ſperans, ut hac occaſione pingui aliquo foveretur ſacerdotio, & egeſtati duræ mederi poſſet. Eâ tamen parte illi gratificatum, ut hoſpitium, & quotidianus cibus, in ædibus Vaticanis præberetur. Tandem quoque humaniores literas in Gymnaſio Romano publicè docendi provinciam, Thomæ Coræi morte deſtitutam, ac vacuam, ſumma omnium voluntate obtinuit. Sed admirari tum, vel deplorare potiùs licuit, abjectam, depreſſámque humaniorum artium conditionem.

conditionem. Nam qua hora diſcipulorum multitudini Eloquentiæ traderet præcepta, à corona derelictus ante Gymnaſii oſtium cum uno, alteróve obambulabat: nullo penè ei, quem ſine ſumtu, ſine itinerum moleſtia, habere poterant Græcæ, Latinæque facundiæ, doctorem eximium, præbere aures dignante. Quæ res triſtitiam paupertati ſuperaddens, graviter uſſit virum adflictiſſimum, mortisque gradum acceleravit vitæ jam pertæſo.

Mirandum omnino, inter infelices, ſummaque preſſos inopia, numerari etiam Paulum Guidottum Burgheſium, cùm ſe quatuordecim artibus præditum gloriaretur, quarum ex ſingulis panem, aliáque ad vitæ uſum neceſſaria, poſſet expromere. Præ reliquis autem ingenti is animi magnitudine tria præclarè fuerat, Paulus Guidottus Burgheſius.

C2 com-

complexus: Picturam enim, & Statuariam, iis adjunxerat ſtudiis, quæ ab humanitate nomen ſibi adſciſcunt. Rebus verò ſuis meliùs conſuluiſſet, ſi opera juſtis pretiis ſciviſſet vendere, nec ambitione plenus, inania militiæ inſignia, aut trimeſtrem conſulatum mercede grandi comparaſſet. Excelſum autem in poeſi animum, adeóque æternæ famæ cupidum ſignificavit, ut Torquati Taſſi poemati aliud à ſe compoſitum opponere non dubitârit. Nam quemadmodum ille Hieroſolymam cecinit ex hoſtium ſervitute libertati Chriſtianæ vindicatam: ita hic eandem funditus deletam expreſſit, totidem planè verſibus, ac ſimili rhythmo. Sed tot virtutum, & ſcientiarum, dives copia in ſumma rerum omnium anguſtia exſpiravit. Ætate enim confectus, neceſſe habuit, latibula quotidie mutando, ſcredito-

ditorum ſeſe manibus ſubducere, donec tandem miſeriis victus, fame propemodum enecaretur.

Si Joannis Andreæ Ruetti virtutibus par data fuiſſet Fortuna, nequaquam hic inter infelices ſortiretur locum. Magna quippe Geometricæ facultatis, atque univerſæ Matheſeos ſcientia, qua præditus erat, ſecundiores illi res, vel ſaltem non ita fœdas, polliceri videbatur. Et mirandum, Muſas, quarum cultor obſervantiſſimus, ipſum à nefaria, ac ſceleris, audaciæque plenâ, ſervi domeſtici manu non defendiſſe. Tanti enim faciebat poëſin, ut maximam partem ſtudio illi vacaret, & verſus conſcriberet plurimos; inter quos odam eam elegantem, locupletiſſimis amici cujusdam commentariis illuſtratam. Poematũ librum, Murmur Heliconis inſcriptum, edidit, cùm aulam Joan. Andr. Ruett9.

Candalii Ducis, & Veneti exercitus imperatoris, Præfecti nomine adminiſtráret. Verùm longius illi tempus augendi, atque ingenii declarandi contigiſſet, ſi quod ſtudium colligendis Parnaſſi, Pindique, floribus collocabat, adhibuiſſet in familiarium delectu, quibus tutò vitam ſuam committeret. Nam in ædibus Marii Frangipani, cui à conſiliis erat intimus, nocte quadam ab adoleſcentulo ſervo eſt interfectus, atque omni auro, argentóq; ſpoliatus. Sic miſerum, octavo ab interitu die cùm non appareret, ac teter ex cubiculi rimulis odor permearet, effracto Senatûs juſſu oſtio, multis confoſſum vulneribus invenere.

Poly-carpus Paler-mus. Quemadmodum olim Catullo, aliisque illuſtribus animis, multum debuit Verona: ſic è junioribus ſummo jure plurimi fecit Polycarpum Palermum. Cujus

viri

Viri merita eò quidem gratiori mente agnovit, quòd is maximum naturæ miraculum Plinium ſuæ tandem patriæ, veriſque civibus, aſſertore calamo, vindicârit. Fruſtra laborantibus Comenſibus; qui non ſolùm per totam Italiam editis libellis Plinium ſibi adſerebaut, verùm etjam Germaniam; ac præſertim excuſâ Francofurti, una cum Plinii libris de Naturali hiſtoria, Pauli Cigalini, Comenſis medici, oratione, qua veram autoris illius patriam Comum fuiſſe adſtruunt. Cæterum Palermus, è Valoniano ſuo Veronam properans ſub Auroram à ruſticis quibusdam turpiter cæſus eſt. Cui ſi longiorem fata vitam dediſſent, præclarè fuiſſet meritus de univerſa Rep. literaria. Nunc, quamvis illi denegatum diu vivere, reliquit tamen, quo vixiſſe ſe luculenter teſtetur.

 Joan-

Ioannes Baptiſta Marin

Joanni Baptiſtæ Marino ſingulare ingenium, atque incredibilis ad faciendos verſus indoles, majorem gloriam, quàm felicitatem, peperit. Carmina ejus omnium florum varietate conſperſa, ac ſententiis dulcibus, concinnis, acutisque referta, miris illecebris capiunt legentium animos. Eorum, quæ publico dedit, laudatur imprimis Lyra, tribus continens partibus amores paſtorum, piſcatórumq; cantilenas, funebres amicorum, & virorum illuſtrium laudationes, cumque ſacri argumenti odis, luſus pios. Sed laurum, hederam, atque alia inſignium poetarum præmia Adonide ſuo promeruit: in quod poema omnes numeri, lepores, Veneres omnes, Cupidinésque, confluxiſſe videntur. Miſſis aliorum Principum aulis, in quibus magnificè ſumma cum ingenii laude verſatus eſt, maxime liberaliter

raliter habitus fuit à Carolo E-manuele, Subaudiæ Duce. Sed leves plurimum principũ animi & quibus vel minima noxa bilem commovet, abolétque omne, quidquid antea gratiæ fuerat repoſitum. Nam Marinus, cùm libris editis, aliisque in rebus, offendiſſe Carolum videretur, diuturni carceris moleſtia adfectus eſt. Qua tandem liberatus, parum abfuit, quin à Caſpare Murtula, Ducis aulico, glande fuerit trajectus; ac, niſi poſtea effugiſſet, crematus una cum nobili Gallo, nomine Aprile. Inde ſubduxit ſe in Galliam, ubi ingenii famâ opes ſibi, ac divitias, comparavit: dicato ſcilicet Adonide ſuo Ser. Reginæ Catharinæ de Medicis: à qua, nobiliſſimi ini operis mercedem, centum accepit florenorum millia. Verùm ex Crœſo repentè Irus factus, ereptâ per fraudem pecuniâ, Romam, in

Humoriſtarum Academiam, ſe recepit. Et cùm rogaretur quandoq;, nunquid animus eſſet redeundi in Sabaudiam; reſpondebat argutè, alludens ad combuſtum Aprilem: *nihil ſibi negotii eſſe ea in regione, in qua annus jucundiſſimo menſe careret* Tandem Neapoli ſtranguria afflictus, poſt varia vitæ, atque itinerum pericula, extremum ſpiritum edidit.

Trajanus Boccalinus. Dignus etiam annotatu vitæ infelix exitus Trajani Boccalini: cui viro elegans erat à natura ingenium, eâque præſertim arte excellens, quæ in Rebuspubl. & gubernandis civitatibus, verſatur. Novam inveniſſe ſe Philoſophiæ viam gloriabatur, non ſcrupoſam, aut vepribus obſitam, qualis illa, cui vulgò inſiſti ſolet: ſed ſuavem, amœnam, atque intrantes qualibet voluptate afficientem. Eandem aliquanto ante aperire cœperant Nicolaus Francus,

cùs, & Caporalis, poetæ faceti : ſed hanc unam præ reliquis excoluit Boccalinus. Magnam præterea vinxit in Parnaſſi vertice civitatem ; ubi præſide ,ac judice, poetarum Deo Apolline, tum literati omnes , tum etiam principes, de ſuo inter ſe jure contenderent. Qua occaſione ſingulorum dicta, factáque, vel laudibus extollebat, vel infamiâ notabat. Hæc ſcribendi ratio à famoſis libellis non adeò longè disjungitur, cùm omnia, quæ finxiſſet in Parnaſſo dijudicata, ſcriptis vulgaret. Sed nimia in viros principes, qui propter imperium metui expetunt, inque privatos etiam invehendi licentia, plerumq; in nervum erumpit. Tandem igitur ſenſit Boccalinus, ſapientiam ſuam cum exiſtimationis, vitæq; periculo conjunctam. Duro enim mortis genere, ſacculis nempe arenaceis occiſus, Venetiis periit.

Thom. Campanella.

Omnes autem fati acerbitates, & quidquid uſquam truculentiæ eſt, pertuliſſe mihi videtur Thomas Campanella, egregium familiæ Dominicanæ lumen. Stylo, Calabriæ oppido, oriundus, maturè ſe intra Dominicanorum clauſtra dedit, neque minùs celeriter eximii, ac humanæ conditionis vires exſuperantis, ingenii ſigna depromſit. Unde magiſter, à quo prima doctrinæ rudimenta acceperat, ad publicas diſputationes Coſentiam invitatus, cùm ſubito impeditus morbo venire non poſſet, ſuum in locum ſubrogavit Thomam. Atque is ita præclarè, doctéque traditas ſibi partes adminiſtravit, ut omnibus eſſet miraculo. Libri deinde ſui, pro Teleſio philoſopho adverſus Martam conſcripti, imprimendi gratiâ Neapolim cùm veniſſet, atque Ædem S. Mariæ Novæ præteriens, ex turba ingrediun-

tium

tium cauſam ejus cognoſcendi deſiderio incenderetur, vidit diſputationibus operam dari. Itaque & ſe certamini objecit, cœpitque ea, quæ tamquam firma, rataque ponebantur, argumentis tam validis, tam aptè, argutéque concluſis, labefactare, & convellere, ut ovantis inſtar à ſui ordinis fratribus in hoſpitium deductus ſit. Paullo pòſt, perduellionis reus, quòd regnum hoſtibus prodere velle putaretur, conjectus eſt in carcerem; ubi quinque & viginti annos, omnibus confectus miſeriis, exegit. Atque illo imprimis tempore ultimum vitæ diſcrimen adiit, cùm quæſtione de ipſo ultra triginta horas crudeliter habitâ, omnes venæ, arteriæque tormentorum immanitate diffractæ, tantam ſanguinis vim emitterent, ut ſiſti minime poſſet. Admotis prætetea lignis, iisque quantum pote-

rat

rat contortis, uſque adeò femora compreſſa ſunt, ut in longum extenſa, neque tres ferè digitos craſſa remanſerint. Nihilominus in horrendis hiſce cruciatibus tantam præſtitit animi fortitudinem, ut ne vocem quidem emiſerit docti, ac ſapientis viri, gravitate indignam. Elapſus demum ex vinculis, cum novam imminere ſibi tempeſtatem animadverteret; in Galliam, tanquam portum, confugit, vixitque Regni illius Proceribus ad mortem usq; acceptiſſimus.

Olivarius a Boſco. Campanellæ adjungam ætate ſuâ oratorem non infimum Olivarium à Boſco, nobili, ac generoſæ Olivariæ familiæ inſertum, ejusq; inſignibus, ac nomine donatum. Hic à Paulo Quinto Abbatis Belliloci titulum conſecutus eſt, Cardinalis Seraphini Olivarii operâ: quem poſtea luculentâ oratione in Sanctiſſimæ

Tri-

Trinitatis Æde laudavit extinctum. Verùm cùm in concionibus contra religioſi ordinis exiſtimationem, & decus, eſſet invectus, omnium in ſe iram derivavit. Quamobrem in Adriani molem injectus, multos ibi annos in vinculis aſſervatus, miſereque habitus eſt. Quo malo liberatus, incidit in aliud; rei ſcilicet familiaris ingens naufragium. Nam Chymicæ arti addictior, bona, & facultates inutiliter conſumſit; ſic ut omnium poſtea egenus, obſtrictâ etiam creditoribus animâ, naturæ conceſſerit.

Quibus non portentis, ac ludibriis hominum, involvit Fortuna Franciſcum Balduccium, Panormo Siculum! Hic Romæ in Humoriſtarum Academiam ab Henrico Falconio receptus, ſolâ mercedis ſpe, virorum nobilium ac divitum, laudes carminibus cœpit extollere. Nec fefellit in- Franciſcus Balduccius.

cœptum.

cœptum. Nam prementem inopiam hujuſmodi facilè invento ſublevare potuiſſet, ſi nummis uti ſciens, ac futuro conſulere tempori, non omnia continuò abligurîiſſet. Incedebat quotidiè inanis, &, niſi inediâ confici malſet, coactus locupletiorum menſas ambire. Ac tandem invenerat tonſorem, miſericordia ſui, atque ingenio, motum, manúque larga victum præbentem. Verùm homo ambitioſulus, ac planè contumax, nihil ab ullo gratis dari, ſed tanquam debitum virtuti ſuæ officium perſolvi, exiſtimabat. Accidit itaque, ut die, quo magna piſcium eſſet caritas, piſciculos minutos tonſor in prandium emeret, eósque Balduccio apponeret. Tum ille, tanquam inſigni injuriâ læſus, Itáne, inquit, poetarum excipis hujus ævi principem? adeóne dignus tibi videor, quem ſic illudas! tunc

hos

hos mihi piſciculos præbere auſus, ac ſi unus eſſem de multis, atque hominum fece? At tonſor, qui multos jam menſes pertulerat ejus audaciam, & faſtidium, nimiâ victus contumaciâ, arripuit illum collo, atque è menſa extruſit foras. Similiter poſtea ob morum importunitatem ejectus ex ædibus Antonii Urſini, & Brachiani Ducis, compulſus eſt alium dominum, Lares alios, atque urbem, exquirere. Neapoli, ubi principi cuidam viro in ſervitutem ſe dicaverat, per viam publicam eunti neſcio quid ſuperne dejectũ in oculos incidit, luménque penitus ademiſſet, niſi excellentis medici operâ fuiſſet proviſum. Reverſus Romam, quando non eſſet, unde viveret, quotidianum victum creditâ pecuniâ emebat à caupone. Cui præter verba cùm nihil ſolveret, in carcerem à lictoribus rapiebatur.

tur. Sed, magno ejus commodo, aderat vir dives; qui percontatus quantum deberet, dedit tantundem, & Balduccium è lictorum manibus liberavit. Ad eosdem autem inopiæ fluctus aſſiduò relabens, parum ſæpe abfuit, quin ſub fuſtibus vitam finiret. Poſt multa vitæ diſcrimina, & miſerias, quas referre longum eſſet, in noſocomio Baſilicæ Lateranenſis animam edidit.

Antonius Niger.

Antonio Nigro, Patavino civi, neque obſcuri nominis medico, vexationum graves miſerias, & mortem attulit malevola uxor, Familiam alioquin honoribus, & divitiis, auxerat plurimùm, utpote Equeſtris ordinis inſignibus decoratus. In Patavino etiam Gymnaſio per ſex & viginti annos Avicennam feliciter interpretatus eſt. Sed invidiæ ſibi multum contraxit, quòd putaretur Patriæ civiúmque Comitiis plus, quàm

quàm virum literatum deceret, animum adjiccre. Variis exinde matrimoniis implicitus, ſed iis parum fortunatis. Duabus enim uxoribus parentârat; jamq; de relinquendâ tertiâ cogitabat, quòd ſibi ob altercationes nimium quantum faceſſeret Verùm priùs cum vita, quàm uxore, divortium fecit Antonius.

Magnam Juriſprudentia jacturam fecit in calamitoſo obitu Angeli Saxi, civis item Patavini. Qui obtentâ à Ser. Venetorũ Republ. Gymnaſii cathedrâ, celebris Juris Canonici doctor habebatur. Dúmque ſic ad maximos honores, increbeſcente indies nominis, & eruditionis famâ, eveheretur, Fortuna ſecundis adverſa miſcuit vitámque violento fato concluſit. Siquidem ſub Auroræ ortum ab homine ſceleſtiſſimo, & familiari olim ſuo, de medio tollitur, fœdéque dilaniatur. Angelus Saxus.

Dum

Antiochus Tyberius.

Dum verò ex Italiâ deceſſum in Galliam feſtino, duos propè omiſeram viros excellentes, quorum ſortem nemo non deplorandam dixerit. Eos igitur ſerius potiùs apponere viſum, quàm ſilentio penitus tranſire. Prior eſt Antiochus Tyberius, ſimile quondam divinatoriæ ſuæ arti præmium conſecutus, atque Cocles, & Lucas Gauricus, quorum ſuperius facta mentio. Primum is poſt Petrum Aponenſem duobus jacentem ſeculis, & exploſam à ſacri ordinis viris, Magiam excitavit. Eleganti, ſaltem non abſurdo, de Chiromantia, Pyromantia, Phyſiognomia, aliiſque id genus ſcientiis, edito libro, tantum ſibi nominis, & famæ acquiſivit, ut ab omnibus de toto vitæ, fortunæque eventu, conſuleretur. Prædixerat aliquando ex volæ lineis Guidoni Balneo, ut & Pandulpho Malateſtæ,

teſtæ, Ariminenſium tyranno, futurum eſſe, ut hic pelleretur dominatu, exúlque ſumma in miſeria periret; ille ab amico, perfidiæ ſuſpectus, occideretur. Neque fefellit eventus vaticinantem. Interfecit enim Pandulphus fortiſſimũ Guidonem, & cui militarem ob animum Guerræ cognomen datum erat. Nec ſtetit hîc alterius ſævitas: ſed ipſũm etiam Tyberium in carcerem conjecit, ut, pro rei eventu, ſupplicio aſſervaretur. Captus itaq; & compedibus nexus, cuſtodis arcis filiam, puellam mollem, orando, blandiendóque cò miſericordiæ pellexit, ut reſtem impetraret, ſeque in foſſam demitteret. Compedum verò ſonitu proditâ fugâ, retractus miſer, & pari ſorte cum puella ſecuri percuſſus. Sed non minùs in Pandulpho eſt prædicentis fides comprobata; ut qui ejectus patriâ, & à liberis deſertus,

tus, miſere in viliſſimo perierit diverſorio.

Hieronymus Cardanus.

Alter, qui inter infelices ultro ſibi locum expoſcit, magni eſt nominis mathematicus, & medicus, Hieronymus Cardanus. Varia ejus vita, ut mores; pluráque inaudita de ſe ipſo ſingulari libro ſcripſit, quàm curioſior quiſpiam à me exigat. Aſſiduis quippe expoſitus fuit túm ludentis, tum ſævientis Fortunæ tempeſtatibus; ita ut ſecurum, tutúmque vix habuerit ipſum ſenectutis ſuæ nidum. Caſu primùm domus grandem paſſus bonorum jacturam, è docentium deinde collegio rejectus, mutata ſæpius urbe, atque in urbe habitationibus propter inopiam, vagus. Ut mirum ſit, oppigneratis etiam uxoris ornamentis, & ſupellectile, potuiſſe omnibus carere præſidiis; magis, non mendicaſſe carentem; maximè, nihil admiſiſſe, aut cogitaſſe,

taſſe, indignum majoribus ſuis, & dignitatibus, quibus antea fuerat decoratus. Patre vita functo, contulit ſe in Saccenſe oppidum, dum patria annonæ penuria, peſtilenti morbo, atque omni malorum genere, vaſtaretur. Quibus remiſſis aliquantulum procellis, Mediolanum rediit, non cogitans, ubivis melius ſibi eſſe, quàm in patria. Mox enim à Barbianis è Collegio ejectus, Saccenſe oppidulum, tanquam ſecurius domicilium, repetere cogebatur: ſed non ea, qua abierat, valetudine. Quippe tuſſi, tabe, empyemate ex crudo humore fœtido, eò perductus eſt, unde rarò quiſpiam ad ſalutem redire ſolet. Anno tamen proximo ſanitati ex parte reſtitutus, cùm jàm miſero nihil relictum foret, à præfectis Xenodochii Mediolanenſis, ope imprimis Philippi Archintii, tantum obtinuit, ut aliquo laboris condimento,

dimento publicè Matheſin profiteretur. Quatuor autem extrema fuere pericula, quibus, niſi affulſiſſet tanquam è machina Deus, illico periiſſet. Submerſionis primum; alterū canis rabidi; caſus cæmenti tertium; ultimum denique orta in domo nobilis Veneti rixa. Et quid malorum præterea non accidit? Sæpiſſime illi nex intentata, præ aliis, etiam à ſervo domeſtico; quàm paucis ſolùm horis prævenit. Succeſſere hinc præter gravem, & diuturnam podagram; crebra vitæ pericula, & inſidię, cùm parùm cognitę eſſent illi viæ Romanæ, atq; inconditi mores. Imò minuta hæc omnia, ſi attendamus, quot, quantáſq; in liberis calamitates pertulerit. Major enim filius, quòd uxorem veneno ſuſtuliſſe diceretur, captus, atq; in carcere ſecuri percuſſ9 eſt. quâ ignominiâ ſpret⁹ erat omnibus, ingratus devitabat amicos, quo

quo ſe conferret non habebat, neſcio, utrum infelicior, an odioſior. Subiere mox filii junioris ſtultitia, flagitia, vexationes; adeò, ut carceri illum mancipare, in exilium agere, paterna hæreditate privare, neceſſe habuerit. Tota itaq; filiorum res peſſimè ſe habuit; & filia, in qua ſola duntaxat ſpes aliqua boni ſupererat, nupta Bartholomeo Saccho, patricio Mediolanenſi, ſterilis evaſit. Tandem vir ſum̃us, cùm tribus diebus minus, ſeptuageſimum quintum annum impleviſſet; eodem, quo prædixerat año, & die, ne falleret, mortem ſuam inediâ acceleraſſe creditus.

HActenus de Italis. Nunc de illuſtrioribus aliquot Galliæ viris agamus. Quos inter familiam non incommodè duxerit Petrus Gillius, Albienſis, tũ humanioribus literis, tum philoſophiæ cognitione inſignis. Hunc Franciſcus primus, cùm de exſtruenda Petrus Gillius.

bibliotheca cogitaret, in Græciam, Aſiámq; legavit, ut Græcorum ſcriptorum codices, manu exaratos, undiq; conquireret, atque in Galliam aſportaret. Verùm non tam feliciter ceſſit illa peregrinatio, atq; cogitârat vir eruditiſſimus. Longiſſimè enim gentium abductus, neq; ullo regis adjutus auxilio, eâ ætate, qua veterani emereri ſolent, tyro coactus eſt Perſarum caſtra ſequi. Vidimus ejus ad amicum epiſtolam; qua queritur, fortunam ſuam omni deſtitutam ſolatio, ac tenui vectigali ægre ſuſtentatam annorum quadraginta peregrinationem. Interim nihil eſſe æquius, quàm regem ſibi dare aliquod perfugium ſenectutis ſuæ, cùm ipſius præſcripto tantum ſuſceperit iter, tamq; diu ſuſtinuerit. Omnibus ſe voluptatibus privatum; ſenem tot ærumnas ſubiiſſe, ut jucundum quid Regi gratificari poſſet. Præterea

per

per totos viginti annos non deſtitiſſe bene mereri de Franciſco, ac Valeſiâ gente, cùm aliis orationibus, tum præſertim tribus ad regẽ Angliæ, ſuadentibus, ut Franciæ regium nomen non amplius uſurpet, aut ejus partes repetat. Mirari proinde, ſe penitus adeò deſtitui ab illo, à quo minimè deberet. Refert etiam, ut nox quædã valde exercuerit tyrocinium militiæ ſuæ: fuſo ſcilicet ad Taurum montem exercitu, equo ſe, aliisq; ornamentis ſpoliatum, à mediâ nocte ad diem usq;, inter tot fugientium millia, fugiſſe peditem, atq;, ad ſtuporem omnium, incolumem evaſiſſe. Hujuſmodi ſunt, quæ de itinerum, & paupertatis moleſtiâ, ipſe in prædictâ narrat epiſtola. A Gerbenſibus deinde pyratis captus, & in Africo littore duriſſima carceris miſeria adfectꝰ vix tandem munificentiſſimi Cardinalis Armeniaci liberalitate redemtus

demtus eſt. Tanti beneficii non immemor, Romam ad Mecenatem illum, tanquam tutiſſimum portũ, confugit. Ubi, dum ordinandis, quæ longo tempore ſparſim congeſſerat, dies noctibus continuat, ardentiſſima febri correptꝰ, diem ſupremũ clauſit. Ad infelicitatem poſſet accedere, quòd, illo mortuo, ſcripta à Pet. Belono, Cænomano, amanuenſi, & peregrinationis per annos aliquot comite, fuerint ſurrepta, ac pro ſuis edita.

Clemens Marotus.

Faciles Principum iras, & leviſſima delicta ſeriò plectentes, animadvertere etiam licet in Clemente Maroto. Hunc quippe Franciſci, Galliarum Regis, aula tantiſper in delitiis habuit, donec, mutatâ in odium benevolentiâ, exilio, atq; aliis adfligeret miſeriis. quem literatorum infelicium numero apponi, haut abſurdum arbitror, quantumvis Latinæ defuerint literæ. Hoc enim Galliæ præſtitit.

quòd, cùm illius temporis ſcriptores ſermone uterentur tam impuro, ut intelligi vix poſſent; prim⁹ meliorem ac dilucidiorem loquendi viam ſit ingreſſus. Atq; ita, tanquam alter Atlantis nepos, rigidiores hominum cultus politiori voce formavit. In poëſi præterea nemini ſecundus; & fortaſſe nimius poëta, quòd Fortunæ, huic plerumq; hominum generi peculiari quadam invidia infeſtę, ſævitiam quoq; ſit expertus. Nam extorris, atque omnium egenus, Taurini apud Inſubres, procul à ſuorum aſpectu, è vita exceſſit.

Perturbatis ob religionem in Gallia rebus, mala ſors, quæ multos alios diris calamitatum nexibus irretivit, una quoq; involvit Æmarum Ranconetū. Fuit is humanioris literaturæ, omniſq; antiquitatis, ſeu ſacræ, ſeu profanæ, ſcientiſſimus, quiq; primos juris Romani fontes aperuit. Patria urbe

Æmarus Ranconetus.

urbe Burdegala poſthabita, Pariſios conceſſit; ubi Conſiliarii priùs, deinde æquiſſimi, & conſultiſſimi Præſidis officium exercuit. Majori quidem nominis famâ, quòd certatim in eo elucerent hinc Senatoria purpura; illinc humaniorum, & politiorum literarũ ſplendor. Sed creſcentem viri gloriam ſubvertit fati malignitas. quippe ſceleratorum cõjuratione criminis accuſatus, in extremum capitis, fortunarumque diſcrimen adductus eſt; nec purgandi ſe occaſionem præbuit feſtina mors. Ea res non inſignem modò calamitatem intulit domui, atq; opibus univerſis; ſed eorum etiam jacturam, quæ neq; parari pretio, neq; reſtitui poſſunt. Quæcumq; enim aut collegerat, aut in difficiliores Græcorũ auctorum locos eruditiſſimè adnotârat, magno nominis detrimento fuere diſſipata. Ipſe in Baſtiliam arcem conject9, quòd

quod ex aſtrorũ indicio jampridem eventurũ præſagierat, ſenex exquiſito mortis genere obiit.

Quantum poeſi detrimenti inflixit immatura mors Petri Fulvii Pictonis, ſuaviſſimi, atq; argutiſſimi poetæ! Cujus viri poemata, niſi periiſſent, ejusmodi cenſerentur, ut nullâ temporum injuriâ poſſent aboleri. Laudatę imprimis illius tragœdiæ; in quibus, magno adhibito judicio, Senecam prudentiſſimè expreſſerat. Cariſſimꝰ fuit doctis omnibus, qui Pictavienſem Academiam frequẽtabant; & præ reliquis acceptus Antonio Mureto, dum in Samarthano doceret Gymnaſio ſtudiorum comiti, atq; æmulo. Imò natum quandoq; inter Fulvium, Muretum, & Joachimum Bellaium poeticum certamen, Salmonio Macrino judice; qui ex tribus Epigrammatis Fulviano palmam attribuit. Sed præſecta citò nimiũ tantæ ubertatis

tis vena. Nã in prima diſſidii Gallici procella, exorto Auguſtoriti bacchantis vulgi inſaniſſimo tumultu, ſubitus pavor molliorem hominis animam facilè oppreſſit.

Carol⁹ Molinæus.

Sęvientis Fortunę procellas fortiſſimo tulit animo Juris antiqui, & Gallici, conſultiſſimus, Carolus Molinæus. quamvis enim ingruerent graves, magnæq; non potuerunt tamen de ſolido conſtantiæ gradu dejicere, aut inhibere à legum municipalium interpretatione, Galliæ, Germaniæq;, Juriſconſultum. Hic eſt, qui, initio Parmenſis belli adverſus Julium Pontificem, publicato in edictũ Henrici Secundi contra depravatam Curiæ Romanæ diſpéſandis ſacerdotiis diſciplinam comentario, graviſſimam in offenſionem incidit. Cùm enim ea ſcripſiſſet, quæ ad tuendã Eccleſiæ Gallicæ libertatem pertinerent, à pleriſque ita ſunt accepta, quaſi auctoritatem

Pon-

Pontificiam videretur cõvellere. Exoſus igitur omnib⁹, hanc indignam meritis ſuis gratiã à patria retulit, ut urbem, forúmq; relinquere,& ſolum vertere,cogeretur. Exul deinde voluntarius Germaniam petiit; ubi tanto principum omnium, civitatumq; applauſu, exceptus eſt, ut propoſitis certatim præmiis, ad Juris profeſſionem ab illis invitaretur. Maximo quidem levitatis documento, cũ poſt annos aliquot,mutatis ob religionis diſſidium fautorum animis,indigniſſimè in vinculis haberetur, nec niſi eluſis cuſtodib⁹, famuli indutus perſonâ evaderet. Regis poſtea juſſu in Galliam revocatus, fortunam apud ſuos nihilo æquiorem perſenſit. Iterum quippe recrudeſcere malevolorũ invidia, quorum circumventus inſidiis, carceris moleſtiam ipſa in ſenectute ſubiit vir bonus, & ſimplex, quiq; patriæ caritate ſu-

pra quàm dici poteſt inflammaretur. Sexagenario major dolore extinctus eſt, cùm emendationem in religione, quam tantopere deſiderabat, in licentiam, & factiones verſam, animadverteret.

Petrus Monraureus.

Addam huic Senatorii ordinis, excellentis ingenii, & in Philoſophia, ac Mathematicis artibus, virum verſatiſſimum, Petrũ Monraureum. Magnus etiam is Muſarum alumnus verſibus quandoq; illa ludere, quibus neq; ſuavius aliquid, neq; perfectius, excogitari poterat. Civilium negotiorum, mũnerisq; Senatorii, intervalla quibuslibet ſtudiis elegantiſſimè diſpungere, atque ita ſemper aut forenſibus actionibus, aut animũ diſciplinis exercere. Matheſi verò addictiorem fuiſſe, ſcripta ejus in Euclidem, & librum quidem decimum, à paucis antea tentatum, manifeſtè declarant. Non tamen tot egregiæ artes potuere poſſeſ-

forem,

ſorem, & cultorem ſui, à calamitatum telis defendere. Sed ob religionis cauſsā bellis inteſtinis graviter jactatus, cùm Sançerras ad Ligurim confugiſſet, contracto ſimiliter ex mœrore morbo, animā Deo reddidit. Bibliotheca etiam ejus, omnium librorum copia inſtructa, Mathematicis præſertim, & Græcis, illisque majorem partem manuſcriptis, atque ipſius ſtudio emendatis, barbarâ iſtâ immanitate direpta eſt.

Quot acerba Galliæ funera, & diros caſ9, objecit nuptiarum ille Pariſienſium dies! Graſſatum eo tempore pari furore in iñoxios, atq; iñerentes: ipsásq; in matresfamilias, ac virgines nobiles, & generoſas, plus quàm barbaro more ſævitū, eſt. Tot gravidæ mulieres, contra gentium omnium, nationúmq; inſtituta, ante partū editum in flumen crudeliter abjectæ! Multi ætate grandes, quique

morbo confecti lecto tenebantur, multi dignitatibus publicis præcellentes; ſenatores multi, eruditiſſimiq; bonarum artium doctores, & magiſtri indictâ cauſsâ ſupplicio adfecti. Hos inter primo ſe limine offert vir ob philoſophiam, aliáſq; diſciplinas, toto orbe celebratus, Petrus Ramus. Natus

Petrus Ramus

is patre quidem agricolâ, ſed ex ſtirpe nobili, quique genus ſuũ ex Eburonibus repeteret. Avus Burgundionum armis patriâ pulſus, atq; omnib⁹ exutus bonis, ad Veromanduos confugit, ibiq; carbonariam exercuit. Ipſe autem, cùm à puero ingenita quadam literarum cupiditate incenſus, Pariſios ultro veniſſet, ſuperatis calamitatum ſcopulis; talis evaſit, qualem ſcripta arguunt; ſuſceptóq; profitendi munere, æquales ſuos tum auditorum frequentiâ, tum eloquentiæ famâ, longiſſimè anteivit. Cùmq; Philoſophiam priùs, poſtea

poſtea verò mathematicas artes docuiſſet, Ariſtotelem tandem voce, & ſcriptis, importunè oppugnans, erroneam in philoſophicis induxiſſe viam creditus eſt. Qua de re magnæ illi cum Jacobo Carpentario controverſiæ fuere; nec minores antea cum Antonio Goveano, & Joachimo Perionio. Sed emiſſis à Carpentario ęmulo, & lanienam adjuvante, ſicariis diſcipulis, è cella, in quam confugerat, exſtractus, pecuniâ cum opibus univerſis direptâ, & inflictis aliquot vulneribus, ſuperne è feneſtra in aream dejectus eſt. Cadaver effuſis viſceribus, quæ furentes etiam eâdem rabie pueri per vias ſparſerunt, ſcuticis in profeſſionis opprobrium verberatum, atque immaniter raptum.

Dionyſius Lambinus.

Rami caſus ſecum traxit Dionyſium Lambinum, humaniorum literarum, & utriuſq; linguæ, in Gymnaſio Pariſienſi profeſſorum regium.

gium. Unde manârunt uberes illi in Plautũ, Lucretium, Horatium, Nepotem, utq; de Cicerone nihil dicam, alios etiam auctores, commentarii. Vir utiq; eximius, atq; ob exactam Græcæ; Latinæq; linguę peritiam, à doctiſſimis maximo in honore habitus. Hujus ad aures cùm fama de interfecto Ramo perveniſſet, cúmq; ſibi cũ eodem Carpentario occultas, ob rem literariam, ſimultates interceſſiſſe ſciret, exemplum Rami veritus, adeò conſternatus eſt, ut in morbum inciderit graviſſimum; ex quo poſt mensẽ deceſſit.

Guilielmus Bertrandus villemorius.

Temporum illorum furor alios etiam, nunquam Proteſtantiũ religionem profeſſos, inauditâ truculentiâ amplexus eſt. Guilielmus enim Bertrandus Villemorius libellorum ſupplicũ magiſter, Ioãnis Bertrandi Procancellarii, & poſtea Cardinalis, filius, vir doctus, ac liberalis, immiſſis à Fer-

gone

gone ſicariis, pecuniâ ſpoliatus, interfectus eſt.

Similiter Jacobus Roliardus Senator Pariſienſis, & ſacri collegii ſodalis, cùm dies aliquot in amici ſacerdotis domo látuiſſet, garrulę tandem ancillæ proditione agnitus, in latronum manus devenit; ac poſtquam diu inter ſpem, & metum anxio illuſum fuiſſet, capite truncat⁹ à Cruciario quodam aurifice. Homo iſte, Acherontis pabulum, & cruce, aliisq; exquiſitiſſimis tormentis, verè dignus, im̃ani ſæpe veſaniâ jactabat, cùm nudum exeruiſſet brachium; illo ſe quadringentis amplius homines brevi tempore mactâſſe. Deinde pœnitentiâ ductus, ſive potiùs conſcientiâ terrente, hominum conſpectum, tot homicidiis infamis, vitavit; atq; anachoretam profeſſ⁹, in ſolitudinem conceſſit; ubi tamen ferinam iſtam naturam deponere non potuit. Jacob⁹ Roliardus.

Occi-

Petrus Placius.

Occiſus item ſceleſtiſſimè Petr⁹ Placius, Curiæ vectigaliũ primarius præſes, vir gravitate, doctrina, atque integritate clariſſimus. Aliquandiu ſeſe balliſtariorum ope, à Nicolao Bellofremontio, Seneſcæo, & Carronio, attributorũ, à plebis furore defenderat. Poſtea verò Seneſcæus, magno hoſpitio à Carolo præpoſit⁹, ad Placium venit, dixitque, regem, quantumvis decreviſſet omnes ad unũ proteſtantes internecione delere; ei tamen multis de cauſſis vitam donare voluiſſe; ac miſiſſe ſe, ut ad Luparam illum deduceret. Dolũ animadvertens Placius, excuſare ſe, & paucorum dierum, dum plebis rabies deferbuiſſet, ſpatiũ expetere. Inſtare contra Seneſcæus, hortari, ut ſine mora regis mandato pareat; atque ad majorem, ut ajebat, ſecuritatem, Pezovium, præcipuum ſeditionis ducem, addere. At Placius miſere deceptus, & mu-

& mulo, quo vehebatur, deturbatus, pugionum crebris ictibus confoditur. Corpus ejus tractum diu, ac tandem in ſtabulum publicarum ædium abjectum eſt.

Joannes Corraſius.

Toloſæ magna quoq. intemperies exercitâ. Ubi cùm Proteſtantes in carcerem Palatinum omnes conjecti eſſent, immiſſis noctu ſicariis, perditæ vitę hominibus, ad ducentos crudeliter trucidati ſũt; cumq; iis ſenatores multi; qui, immanitate geminatâ, ad ulmum in area Palatii, Senatorio cultu ſuſpenſi ſunt. Inter hos eminuit Joañes Corraſi⁹, celebri legũ domicilio natus, atq; in ipſo Juriſprudentiæ ſinu enutrit⁹; quam poſtea diſciplinam tum profitendi, tùm ſcribendi labore, in florentiſſimis Europæ Gymnaſiis largiſſimè profudit. Ad patriũ deinde Senatum allectus, ac paullò poſt in aulam Navarrę ad Cancellarii dignitatem vocat⁹, tranquillã, & hono-

ratã ſenectutem transacturus videbatur. Sed, contra omniũ ſpem, eâdem & ipſe rabidæ plebis amentiâ indignisſimè interfectus eſt.

Chari-laus Macri-nus. Neq; ſilentio prætereundus vir undiquaq; doctiſſimus, Charilaus Macrinus, temporibus quoq; illis enectus, quibus fruſtra quiſquam manſuetudinem, aut miſericordiam, exigeret. Patrem habuit Salmonium Macrinum, omni literarum genere excellentem; & quem ſi unum excipias, nemo tum ſit repertus, qui Poeticen ſeriò attingeret. Ille autem tam auſpicato rem aggreſſus eſt, ut alter Horatius, & Lyricorũ princeps, meritò cenſeretur; vinceretur q; à nullo, niſi ſolo fortè filio hoc Charilao. Is verò tũ poeſi, tũ præſertim Linguę Gręcæ cognitione memorabilis, atq; illuſtriſſ. principi, Catharinæ Borboniæ, Regis ſorori, pręceptor datus, Lutetię, in ipſo ætatis flore, unà cum Admiralio indigna morte periit.

Ap-

Appendicis magnitudinem ſupergrederer, ſi recenſere omnes vellem eruditionis famâ viros celeberrimos, quos carnificina illa Gallicana abſorpſit. Me quoq; juvat, velut ipſe in parte laboris, & periculi forem, horridiſſima potiùs tempora effugere, quàm in vaſtiorem eorum altitudinem, ac velut profundum, invehi. Nunc itaq; comemorandus veniat Guilielmus Poſtellus; qui Philoſophię, & mathematicarum artium ſtudia primùm profeſſus, & longinquis deinde peregrinationibus Orientalium linguarum peritiam adeptus, iñumera exotici guſtûs ſcripta paſſim edidit. Venetiis autem virginis vetulæ familiaritate uſ9, in eorum delirum, ac juxta deteſtandum, de feminei ſexûs ſalutari reparatione nondum conſum̃atâ incidit; quem Pariſios reverſus, frequenti auditorum turbâ publicavit, & defendit. Adhæc morte ſe obitâ

Guilielmus Poſtellus.

obitâ vocatum ad ſuperos, & juvenili ætati reſtitutũ, ineptè mentiebatur. Magnâ quidem ſtolidæ plebis, atq; eorum imprimis admiratione, qui meminiſſent, eum vetulum, & caneſcentem, abiiſſe; & tum longo intervallo reducem nigrante barbâ, atque ævi flore cõſpicuum, viderent. Sic enim eos homo mirificus captabat, ſimulatóque per pigmenta miraculo, fidem ſuis nugis, & auctoritatem conciliare nitebatur. Accuſatus autem à theologis, atque à magiſtratu graviter increpitus, in Germaniam aufugere coactus eſt; ubi in Ferdinandi Cæſaris aula tam diu latuit, donec, recantatis erroribus, in patriam redeundi, & publicé profitendi, facultas redderetur. Verùm cũ recidere ad eandẽ quæſtionem videretur, interdicto planè publicarum lectionum uſu, in monaſterium Sanmartinianum relegatus eſt; in quo, etiam centena-

tenario ferè proximus miſerrimæ vitæ, & ſolitudinis tandem pertæſus, interiit.

Raró aliàs illudentis fortunæ præclarius exemplum apparuit quàm in Arnoldo Ferrerio Toloſano, Juriſconſulto graviſſimo, atq; Inquiſitionum Pariſienſium præſide. Idem Cōcilio Tridentino magna cum dignitate interfuit, & bis ad Rempublicam Venetam à Principe Orator miſſus eſt. In poſteriori verò legatione, cū ſtipendiis fraudat⁹ ſuo propè ſumtu regno ſreviiſſet; re familiari abſumtâ, ære alieno demerſus, reverti in patriam cogebatur. Incidebat autem in extrema illa tempora, cùm ſpecie boni publici, & tuendæ Religionis Catholicæ, bellum opulentiſſimas quondam Galliæ res affligeret, ac penè perderet. Poſtquam igitur quod impenderat non reſtitueretur, inops, ac miſerabilis ſenex ad Henricum Borbonium,

Arnoldus Ferrerius.

bonium, Navarræ regem, confu-
git, omnium virtutum, atque eru-
ditionis, amantiſſimum princi-
pem. Ab eo non benignè ſolùm
exceptus Ferrerius, ſed ob excel-
lentem doctrinam ſacri etiam ſi-
gilli cuſtodiâ ornatus eſt. Et cœ-
perat jam facilioris, ac comodio-
ris vitæ ſpes tandem ingens afful-
gere, cùm ampliſſimi muneris ad-
miniſtrationem vix ingreſſus,
ipſo in limine repentè concidit.

Gulielmus Pelliceri9. Legatione quidem eadem feli-
ciùs paullò uſus, ſed reliqvum vi-
tæ curſum non ita proſperum ex-
pert9. Gulielmus Pellicerius. Bac-
chante ſcilicet, more ſuo, in præ-
ſtantiſſimū hominem invidiâ, ob-
jectáq; à ſycophantis criminatio-
ne, quaſi cœlibatûs legem non ſa-
tis pro ſacri ordinis munere ob-
ſervaret; in ſummo tum bonorum,
tum vitæ, periculo verſatus eſt.
Concepto proinde totius aulæ fa-
ſtidio, abdidit ſe in ſeceſſum Mon-
ſpe-

ſpelienſem; ubi in jucundiſſimo illo Muſarum ſinu placidè acquievit. Tandem verò inter vehementes, & moleſtiſſimos cruciatus, cõtabuit; eroſis videlicet lento, & inſanabili vulnere præcordiis; idq; peſſimi pharmacopolæ culpâ, qui catapotia ex male tritâ colochyntide ægrotanti ſumẽda obtulerat. Periere ſimul cum auctore ſuo omnes in Plinium, & ſcriptores alios, caſtigationes; quas majori quidem perfectione confecerat, quod in ejuſmodi uſum bibliothecam haberet locupletiſſimam, innumeriſq; veterum manuſcriptis & codicibus preſtantiſſimis, ornatiſſimam.

Accedo nunc ad celeberrimam, ſed infelicem, Juriſconſultorũ trigã, ac clariſſima Juriſprudentiæ lumina, Hotomannũ, Cujaciũ & Barnabam Briſſonium. Certè ex his, uti innumeris aliis, videre eſt, Galliam illuſtrium virorum

fœcun-

fœcũdam magis, quàm amantem. Plerumque enim ſic uſu venit, ut, poſtquam magna eruditionis, atque induſtriæ ſuæ dederunt commoda, indignam tandem meritis gratiam referant. Arguit hęc Franciſcus Hotomannus, vir eruditione variâ, ac potiſſimùm eximiâ in illuſtrando Romanorum jure facundiâ conſpicu⁹. Patre Senatore Pariſienſi Lutetiæ natus, ſimulac juri civili operam Aureliani dediſſet, ob religionis cauſſam pulſus patria, & profugus, Lauſanæ primùm docuit. Inde à Joanne Monlucio Valentiam, ac poſtea à Margarita, Biturigum duce, Avaricum revocatus, aſſiduam jure dicendo operam longo tempore navavit. Cùmq; jam certum ſibi larem conſtituere tandem in animo haberet; exortâ repentè procellâ turbatus, & graviter afflictus, patriam ingratã omnino deſeruit, & ad montem Pelicardi in Sequanis,

Franciſcus Hotomannus.

ac po-

ac poſtremo Baſileæ, amiſſa prius conjuge, ſedem fixit. Variis iſtic editis de jure, aliisque ad Antiquitatis, & politioris literaturæ, illuſtrationem operibus, ætatis anno ſexageſimo ſexto, contractâ ex dolore hydrope, deceſſit.

Sequitur Jacobus Cujacius, rarum nō Galliæ modò, ſed univerſi orbis, in quo literæ, & Juriſprudentia vigent, ornamentum; cui quidquid puræ, nativæq; lucis illi ſcientiæ undecumq; acceſſit ætas omnis debitura eſt. Docuit pluribus locis, ac præſertim apud Bituriges; ubi incredibili nationum concurſu, intima juris, & antiquitatis penetralia juventuti diligētiſſimè reſolvebat. Magno quidem Toloſæ opprobrio; quæ ad exorientem alumni lucem caligans, eū poſtulato cathedrę honore turpiter repulerat. Neq; felicitatem ſuam æſtimare novit Biturigū urbs. Sed illa tam nobile depoſitū cùm omni cura aſſervare, ac tueri de- Iacobus Cujacius.

E beret;

beret;indigniſſimè ferè projecit, ac perdidit. Oborto ſcilicet ſeditioſorum tumultú;qui virum præſtantiſſimum de certa in Principem fide ſuſpectum habentes,non ſemel interimere ſunt conati. Cú itaq; Cujacius,ut profeſſione, ſic moribus,juris, & æqui obſervantiſſimus,per factiones omnia perverti,ingenuã libertatem corrumpi,candorem per fucos, & deteſtandas in religione ſimulationes amitti,ſeq; non tantùm à ſceleratis obſervari,ſed oculis ad cædem deſignari,videret; longiorem vitam melioris deſiderio abrupit, mœroréq; confectus obiit. Unum hoc in eo raræ felicitatis fuit, & quod aliis vix poſt mortẽ datur: ut nempe vivens, vidensq;,laude, quam meruerat,frueretur; cùmq; in foro, ac ſubſelliis, Iuriſconſultorum quisq peculiari ſuo nomine citetur; ipſe per eminentiam Iuriſconſultus appellaretur. Sed grandi malo contaminata ejuſmodi

modi felicitas. Filia quippe, quam ſolam habebat, quæſtui dedere ſe fœdiſſimo; jactaréq;, nomẽ, quod pater Juris ſcientia tota Gallia, orbéq;, conſecutus fuerat celeberrimum, meretriciis ſe artibus paraturam.

Immane verò ſcelus, & multis inauditum ſeculis, pertulit Barnabas Briſſonius, vir ſive literarũ ſtudia, ſive negotia tractaret forenſia, ingenio feliciſſimo. Imò tantam nominis ſui famam excitarat, ut à ſummo virtutum admiratore, Henrico Tertio, primùm fiſci patron⁹; ſacri inde Conſiſtorii aſſeſſor; & non longo intervallo, poſt Pomponiũm Belleureum, ampliſſimi ordinis Præſes crearetur. Atq; in ejuſmodi quidem deliciis eum habebat Rex, ut ſępiſſime diceret, nullum in orbe Chriſtiano principem eſſe, qui eruditorum aliquem Briſſonio ſuo opponeret. Sed, æſtuante novis iterum tumultibus Galliâ, in litiũ tricas incidit, qui- Barnabas Briſſonius.

b⁹ evolvere ſe nunquam citra capitis periculum poſſet; auditùsq; eſt ſępius amicis non ſine gemitu, & ductis imo ex pectore ſuſpiriis, dicere, ſe ad macellū ſervari. Neq; triſti hoc augurio eventus defuit. Nam ab effrenatioribus aliquot, Cromęo prę ſertim, ac Cruceo, hominibus cruce dignioribus, miſſi, qui Briſſonium, in ſenatum venientem, ad minus caſtellum ſiſterent. Illi ſimulac miſerum hominem, & nihil tale metuentem, ad S. Michaelis pontem nacti, per vicū, quaſi in ædibus publicis exſpectaretur, avertunt; & cùm ſub fornice caſtelli eſſet, in horrendum carcerem detrudunt. Mox Cromæus paludatus præſtò adfuit, infeſtiſſim⁹ viro; qui illum, galero demto, in genua procumbere juſſit. Tum la. adverſus tanquam divinæ, humanæq;, majeſtatis reum, & proditionis convictum, ſententia recitatur. Qua auditâ attonitus, quæſivit primùm, quibus à judicibus con-

condemnatus, quibus indiciis, ac teſtibus, cõvictus eſſet. Alteris defenſionem hanc ridentibus, ac jubentibus, quòd inſtaret ageret; ad miſeras ille preces converſ⁹, mortem deprecari, & muris includi ſe petere, ad abſolvendũ opus, quod magno aliàs Reipublicæ detrimẽto periret. Tandem verò poſt caſſas preces, ſpatio vix ad peccata confitendum cõceſſo, ad tignum, urgente Cromæo, ſuſpenditur, & compreſſis loqueo faucibus, crudeliter necatur. Comprehenſi tũ quoq; alii duo viri egregii, Claudius Arcerius, Curiæ Senator, & Ioannes Tardivius, in ſubſelliis inferioribus conſiliarius. Arcerius, cũ pendentem ex tigno Briſſonium videret, Cromæum ſententiam legentem interrupit, & poſt tantum virum, tam fœda morte affectum, vitam ſibi moleſtam inclamavit; nihilq; cunctatus, habito priùs cum ſacerdote colloquio, ad mortem ſe conſtantiſſimè compoſu-

Claudius Arcerius.

peſiit. Atq; eandem fortunam pari animo ſubiit Joannes Tardivius, vitámque, ut alii, laqueo finivit. Corpora poſtridie ante ædes urbanas patibulis ignominiosè adfixa, ad ſpectaculum furenti plebi per biduum proſtiterunt.

Joannes Tardivius.

Faciat quoq; partem operis Nicolaus Sudorius, in Curia Pariſienſi, cùm viveret, Inquiſitionum Præſes, utq; reliquarum diſciplinarũ, ſic Poeſios, amantiſſimus. Et mirandum, vel in mediis civilium negotiorum fluctibus adeò illum ſuæ ſpontis fuiſſe, ut ad ſuavitates poeticas animum ſæpiſſimè deflecteret. Imò majore admiratione dignius, feciſſe Sudorium in maximis tumultibus, quod ipſe optimus artis poeticæ magiſter Flaccus in ſumma quiete fieri poſſe negaverat. Arduum ſcilicet illud opus, nulliq; alii hactenus tentatũ, de vertendo carmine Pindaro, Sudorius & confidentiſſimè aggreſſus eſt, & feliciſſimè peregit. Periit vir longiori

Nicolaus Sudorius.

vita

vita digniſſimus anno ſolùm ætatis quinquageſimo quinto, ab impia latronis manu, dũ è Sequanorum finibus Lutetiã ſe reciperet, in itinere ſævisſimè necatus.

Nõ ſine ſeculi opprobrio in maxima durisſimæ ſortis malignitate vitam egit, finiitq;, Jacobus Lodoicus Strebæus. Ortus is ex humili familia Remenſis agri, & parentibus pauperrimis; ſed excelſo, & divinum ſpirante ingenio præditus, Philoſophiæ ſe, atque Eloquentiæ ſtudiis, totum dedit. Et Latinâ quidem facundiâ tantũ valuit, ut ornatiorem loquendi morem nõ induxerit modò, ſed edito etiam de oratoria verborum collocatione opere eximio, cæteris, quò facilius ad eam pervenirent, viam aperuerit. Suſcepto deinde Ariſtotelis transferendi labore, cùm jam Ethicam, Oeconomicam & Politicam, ſummo fidei, & Latinitatis candore vertiſſet, ab incepto deſiſtere coactus, & totum illũ Philoſo- Ioan. Lodoic. Strebæ.

loſophiæ patrem Latinâ veſte inducere, vetitus eſt. Urgens videlicet rei familiaris egeſtas à jucundo Muſarum otio abducebat, atq; aliò trahebat invitũ. Cùm igitur ad tuendum eruditionis decꝰ neceſſaria deeſſent fortunę ſubſidia; apud typographos Pariſienſes mendis operarum corrigendis inops, ac debile ſenium, ſuſtentare compulſus, in rerum tandem omnium penuria defecit.

Io. Stephanus Durantius. Apparuit luculenter in Joanne Stephano Durantio, plerosq; tum Toloſanæ factionis homines, dum Catholicę religionis cauſſam libidini ſuæ prætenderent, non aliò intendiſſe, quàm ut optimorũ civium internecione teterrimã imperio peſtem molirentur. Nullum enim in eſſe: â iſtâ animorum diſſenſione viditGallia, qui religionem illam aut coleret conſtantiùs, aut majore ſtudio, laborèque promoveret. Vir quippe antiqua morum gravitate, & doctrinâ cõſpicu-

ſpicuus, de ſacris Eccleſiæ ritibus librum cõſcripſit, adeò quidẽ probatum, ut poſt mortem ejus Romę, ipſius Sixti V Pontificis Max. juſſu, & expenſis, ederetur. Patre is Senatore natus, omnibusq; artibus, eximio Iurisconſulto dignis, inſtitutus, poſtquã Regiæ advocationis in patrio Senatu munus per annos aliquot adminiſtrâſſet, ad ipsũ ſenatus principatum, admirabili cũ totius urbis, & provinciæ lætitiâ, provectus eſt. Cęſis poſtea Guiſianis fratribus, Toloſæ, ut & aliis in locis, oborta ingens ſeditio; cui dum pro muneris ſui auctoritate reſiſtere, nomenq; Regium tueri, ac defendere nititur, acerrimam rabidæ jam plebis iram in ſe derivavit. Monit⁹ proinde ab amicis, ut ſeceſſu ſibi conſuleret, reſpondit vir patriæ amantisſimus; ſe quidẽ tanquã ex alta ſpecula proſpicere tẽpeſtatem, urbisq; everſionem; cæterum ruina ejus malle obrui, quàm cõmittere, ut aut de-

ſeruiſſe eam, aut ſeditioni cauſſam dediſſe videretur. Neq; multò pòſt Durantiꝰ, cùm curru vectus è curia exiret, ab efferata multitudine pæne oppreſſus eſt, gladioru ictibus undiq; curru perforato; quos ille, reſupino jacens corpore, atq; aurigâ per medium cõjuratorum globum equos impellẽte, utcunq; devitavit. Tandem verò cùm ad putei marginem rotæ citatiſſimæ deſiliiſſent; ipſe pedes in Capitolium, munitiſſimũ totâ urbe locum, ſe recepit. In Dominicanorum deinde cœnobium detruſus, arctaq; adeò cuſtodiâ ſervatus eſt; ut acceſſus ad eum ipſi vix conjugi patuerit. Morti deſtinatus, atq; à ſtipatorum nequiſſimo furenti plebi traditus, cù vultu conſtanti, quid tanto dignum odio facinus commiſiſſet, adſtãtes rogaret; multiq;, qui auctoritatem antea viri ſuſpexerant, vim abſtinerent; repertus eſt unus, qui mediam turbam perrumpens, ictu ſclopeti ſenis pectꝰ trans-

transverberavit. Mox imcumbentes alii innumeris plagis confodiunt jacentem, corpusque per vias raptatum in platea S. Georgii ſiſtunt, atq; ad portam ferream pegmatis in pedes erectũ laqueo ſuſpendunt. quidam etiam nihil ſentienti barbam vellicabant, magno certè veſanæ amentiæ documẽto.

Qui illuſtriori Stephanorum typographiæ finem impoſuit, faciat quoque Appendici meæ Henricus Stephanus. Sane ſi quiſquam inter rei literariæ principes referri mereatur; vel ille omnium facilè judicio cenſebitur. Erat iſti viro ſũma ingenii fœcũditas, & ſive Græcè, ſive Latinè ſcriberet, utriusque linguę uſꝰ, & facultas paratiſſima. quot veterum, tum ſacrorum, tum profanorum volumina ex celeberrima ejus officina exiere multò quàm prius emendatiora, venuſtioribꝰ multò typis excuſa, & doctiſſimis ipſius cōmentariis illuſtrata! Nihil verò laborum pejus un- Henricus Stephanus.

unquám ceſſit, quàm ſcripta pro Herodoto apologia. Iſto quippe libro cùm graviſſimè in ſacrũ iſtũ cucullatorum ordinem peccâſſe judicaretur, ignibus fuiſſet expiãdus, niſi imminenti periculo tempore ſe ſubduxiſſet. Stephano itaque fugâ ſibi conſulente, atque in nivoſis Arverniæ mõtibus latitante, cremata à tortore effigies pro ipſo pœnas luit. Unde jocabatur ſæpe, ut erat ingenio cavillator: *nunquam ſe magis riguiſſe, quàm cũ Pariſiis uſtularetur*. Multis deinde peregrinationibus diu in Germania vagus, cùm patriam oblivi ſci nõ poſſet, Lugdunũ ſe contulit; ubi opibus, atque ipſo etiam ingenio deſtitutus, vitæ, & tot exantlatis pro republ. Literaria laboribus, in noſocomio finem fecit.

Atque hi ſunt, quos ex Italia, Galliaque, viros calamitatibus memorabiles colligere me, maioribus immerſum, ſiverunt temporis anguſtiæ. De Germanis, Belgis, & cæterarum gentium eruditis, alias forte, volente DEO, agemus.

F I N I S.

Digitized by Google

Digitized by Google